



## **Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina**

**Pirhing, Ehrenreich**

**Dilingæ, 1690**

§. IV. Utrùm ad valorem matrimonii contracti à liberis necessarius sit consensus parentum: & an patria potestas se extendat ad retinendas uxores siliorum?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

morem patriæ explicanda, si dubia sint, seu obscura, certum est, & constat ex *c. Ex literis 7. c. Ex parte 9. h. t.* quamvis alie consuetudines patriæ non serventur *c. 1. h. t.* quæ de solemnitate quidem accidentali matrimonij nonnunquam esse possunt, non autem sunt de substantia matrimonij, de qua disponere non possunt tales privatæ consuetudines, sed jus naturale, vel jura Ecclesiastica, &c.

## §. IV.

*Vtrum ad valorem matrimonij contracti à liberis necessarius sit consensus parentum? Et an patria potestas se extendat ad retinendas uxores filiorum?*

**R**espondetur primò, non requiri ad valorem matrimonij à liberis utriusque sexus contracti, consensum parentum, uti constat ex *c. Cum virum 12. De Regularib. & ex Trident. sess. 24. c. 1. De reformat.* cum in illis, quæ ad statum electionem pertinent, sui juris & liber sit quilibet, præsertim ad gravia onera matrimonij in se suscipienda; quamvis negari non debeat, de honestate & decencia esse, in re tam ardua, parentum etiam voluntatem exquirere, quod solum etiam SS. Canones innuunt, qui ita leges Civiles plus fortassis requirentes corrigunt, ut tamen decencie & reverentie erga parentes nihil derogent, dum ad consilium saltem Pareptam audiendum inducunt liberos, sæpius etiam peccaturos, si sine consensu eorum matrimonium ineant.

Ad reddendas autem filijs suas, quas duxerunt uxores, cogi possunt, & debent

*Compend. Pirking.*

parentes, censuris etiam Ecclesiasticis, si injustè eas retineant. *c. Non est 11. h. t.* quamvis enim per contractum matrimonium non eximantur liberi patriæ potestate, §. final. *Instit. de patria potestate*, non tamen potestati soceri subjiciuntur uxores filiorum, neque patria potestas ad hæc spiritualia se extendit. *c. final. De judiciis in 6.*

## SECTIO IV.

*De matrimonio ficto, seu simulato, & coatto.*

## §. I.

*An matrimonium fictè contractum sit validum, & ad quid obligetur, qui fictè contraxit?*

**Q**uòd matrimonium fictè contractum invalidum sit (quamvis ex parte unius tantum fictio intervenerit) ex defectu consensûs, clarè patet, & desumitur ex *c. Tna nos 26. h. t.* ita tamen, ut in foro nonnunquam exteriore, ubi fictio probari non potest, pro matrimonio valido judicetur, neque credatur asserenti fictionem, in præjudicium alterius; & in foro etiam interno grave peccatum injustitiæ, & sacrilegii taliter fictè contrahens committat, ob deceptam turpiter alteram, cum qua fictè contraxit, & læsam graviter Sacramenti reverentiam, ad quam verus consensûs requiritur. Et hinc fieri etiam potest, ut, cum deceptor aliter damnum personæ illatum, eum qua fictè contraxit, reparare

o o o o non